



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.  
Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

XXXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

nempe in hunc scopum ministeria legere; nullum admittere, nisi sublime, ac splendidum; obire nullum nisi nominis auctoritatisque conciliatorem, cuiusmodi sane non fuerit, fidei Christianæ, & Grammaticæ rudimenta pueris tradere; nosocomia, & carceres visere, iisque consentientibus aurem dare; pagos, villas, montana, gentes extra orbem hunc, barbaras missionibus percurfare. Eadem præterea ex scaturigine lutulenta, omnino flueret, aula- rum fores continuè terere; rixis, & aperta nonnunquam infestatione, competitoribus obstare; penetrare se in amicitias Optimatum, nundinarique illorum gratiam, geniis, & conscientiæ illorum ex utili magis quam recto & bono adplaudendo. Magnarum ad hæc ab cognatis, & viris primoribus intercessionum, promouendis cæptis machinas admouere, ac suos demum euanidos, fluxosque ambitus iisdem opibus virgere, quibus voluit Deus suam vnius gloriam à nobis in Societate procurari. Quin et si nihil inde existeret, præter vitia illa, quæ assiduitas aulica, religiosi hominibus suo contagio affricat (est vero ambientibus necessitatis primariæ regula hæc assiduitas) dici non potest quantoperè essent Societati nocitura: nam quisquis in aula nimius est, vel inde aliud præter Dei obsequium venatur; ferme plus domum reportat de aulico, quam de religioso in aulam tulerat: inde iam sui demissio, secessus, & paupertas; iam sensuum domitus, mensa pura & frugi, iam cætera religiosæ virtuti pretiosa, videri abiecta, & vilia, oculis auro & serico, seruitio, & choragio aulico assuetis; domi ægrè esse deinceps, & in proposito, foris, & extra propositum, cupidè animo, re ipsa si liceat cupidius vagari, ac stare, soluta libertatis saluam regustare, ac si tandem sibi principum clientelam, & fauorem constabiliuerint, nulla tunc vel magis intolerabilis natio, vel à qua necesse sit indigniora tolerari; rem enim suam patroni affectibus dum semper implectunt, id assequuntur vt cunctis timendi, neminem timeant, & vix lapidi illi qui fortè pedem illorum raserit. Disciplinæ contemptum necessitatis nomine probari volunt; pœnam eius violatæ, quia suam non audent, patroni iniuriam faciunt; eius & placitis, & verbis, minis quoque, si usus fuerit, rem gerunt, vt metu mali grauioris, cogantur qui præsent lacunar suspicere, sinantque illos pro impotentia quilibet viuere. Quid linguam quoque perduellem in matrem optimam torquere? quid opinionem fidelis, & incorrupti clientis, famæ illius dispendio apud patronum cauponari? quid effræni licentia quiduis retegere? quiduis pro libidine damnare? nec priuatis, nec publico parcere? Quid improbum quemque, velut in tutelam excipere? partes sibi ex sequacibus conflare? sexcenta alia ex eadem aulæ religiosi hominibus frequentatæ virulenta radice proferri solita, quorum naturam fructusque generatim dum noto, simul oculis subdo quæ Societatem vastatura esset calamitas, si fas illi foret præfecturas optare, illasque ex aulis principum expiscari.

XXXII.

Addam hic quod experti scimus, vitæ, quam sumus Deo propitio fortiti, animam, atque ingenium, cum iis dignitatibus sic pugnare, vt ad eas supremo



premo imperio adacti, eadem operâ, quiete animi qua fruebantur exciderint, nihilque non tentarint vt eas à se abiicerent. Dicti fidem hic duo fatutam facient, primus è Societate Patriarcha, & primus Cardinalis. Iussus Æthiopiæ Patriarcha esse Ioannes Nugnezius Barretus, omni virtutum genere insignis, ob idque S. Ignatio percarus, in Asiam transit, Goa quæ caput Indiæ est, in suam Ecclesiam iturus, illic quendam inuenit Ioannem Belmudem, qui sibi dignitatem illam vindicabat: is Barreti aduentu commotus de illa iure asserenda illico tractare; Æthiopiam dudum ad se pertinere; illam sibi à Paulo III. creditam; eius diploma si nullum proferret, Patriarchæ quo incedebat cultum, honorémque ac nomen Patriarchæ sibi etiam in Lusitania delatum, fidem veri non dubiam facere, nec deesse illic honoris illius quos daret testes oculos. At enim Barretus ad vincendam causam, in qua vinci optabat, nec egebat probationibus nec lite: siquidem vir sanctus, qui molestissimo honoris illius pondere premebatur, felicem se sorte tam bona credidit, hominis qui onus sub quo ipse plurimum gemebat, vltro sibi assertum vellet. Dat ergo confestim latissimas ad Ignatium literas, rogat enixè Pontificem adeat, contendatque ex eo quantum valet, missionem sibi ab eo munere exorare, immunitatémque à quavis alia cuiusvis Ecclesiæ præfectura: id si non impetret, in procinctu se stare ad relegendum mare, Romam versus, proiectumque ad pedes Pontificis deprecaturum se tot lacrymis, & questibus id munus, vt speraret haudquaquam se denuo, animæ suæ periculo, in curam animarum iactandum. Sed Patriarchatum legitimum iure optimo cum teneret, non valuit ab se illud excutere. Ac Æthiopiam etsi ei adire non licuit, Imperatore obnidente, & spes datas, Romanam amplectendi fidem indignè frustrante, sed egit interea in Collegio Goano, hoc vno ab aliis differens, quod eorum nemo pauperior, & obedientiæ, sui que abiiciendi amantior. Quod autem Ignatio in Societate gubernanda iam successisset Iacobus Lainius, scripsit item ad illum ardentissimas literas, quibus illi magnis cum precibus dignitatis suæ abdicationem committebat, vt à Pontifice ratam haberi obtineret; quod si præstitisset, prolixè operam deferebat, vt in egentissimo Societatis collegio coqui munere fungeretur: & hic quidem sensus primi ex nostris Patriarchæ. Cardinalem vero Franciscum Tolletum primum, Societas habuit; pari virum doctrinæ, pietatisque gloria illustrem: in edito illo eminentissimi honoris fastigio, quam molestum sibi, & inquietum gereret animum, quantumque contenderit illam exuere purpuram, suomet certius exponet stylo, quam possit ex meo intelligi. Erat tamen Clementi octauo gratissimus; adlectus ab eo in Sacrum Collegium fuerat; amabatur ab eo tantoperè, vt ei diceret aliquando, habere se illum, duobus suis nepotibus cariorem: non deerant quibus ingenti Ecclesiæ bono se largè commodaret occupationes magnæ, & nobiles: ad illum siquidem deferebatur magna pars gubernationis. Verum ille instinctus ab dignitatibus abhorrens, primæ vocationi primitus innatus, nunquam de-



stitit animum lancinare, inquieto possessi splendoris odio, & acerrimo desiderio, securam in veteri statione quietem honoris illius abiectione repetendi. Anno igitur necdum euoluto, ex quo cooptatus in Sacrum Senatum fuerat; infimis precibus supplex Pontifici accidit ad impetrandam purpuræ abdicationem, deditque ad hoc quam ex autographo hic red- do Epistolam.

BEATISSIME PATER.

Ne velit obsecro S. V. leuitati, præcipitantæ, aut cuius alteri perturbationi quod scribo assignare; multos enim iam menses mecum id verso, ac delibero; multis, & meis, & seruorum Dei precibus, Deo, & Matri Virgini commendavi. Post quæ fixum apud me ratumque est, quoad me attinet, abdicare me purpura, rebûsque cæteris, & in solitario secessu, tantillum hoc vitæ quod restat exigere. Eò me summatim quatuor vehementer inducunt. Vnum tam exilis in dignitate hac virtutum progressus, vt mihi potius regredi videar, & retrocedere quàm vltèriùs tendere. Alterum diuini amoris quem rebus omnibus antepono, frigus quoddam quod experior mihi ex occasione, tot impedimentis, interpellationibus, distractionibus sensim obrepere. Tertium ardor quem mihi diuina bonitas suggerit, eius amore spernendi omnia, quæ velim ad hoc multo plura esse, vt possim plura relinquere. Quæ tria breui comprehensa vsum continent tam multiplicem, & vastum, vt libro integro vix satis explicentur; & hæc, coram Deo loquor, continua me inquietudine, ac mœrore suspendunt (quem interdum occulto, sapius dissimulare non valeo) mihi que caduca hæc omnia in fastidium vertunt. Quartum leuius, & aduentitium, valetudo corporis imbecilla, quæ tot officiis Congregationum, consultationum, conuentuum obeundis, valde atteritur; meo quidem sat magno cruciati, tenui licet in Dei honorem pretio. Verba deficiunt quibus pro grauitate hæc exprimam, sed possunt ex eo vtcumque intelligi quod singulari mea volu- ptate ab iis me abstrahunt, quibus solent mortales tantoperè affici. Supplex obtestor S. V. quàm possum infimis precibus per Christum D. N. qui tantum nostra causa fecit, *qui cum diues esset, propter nos euenus factus est*, ac per sacratissimam eius Matrem, quam S. V. tanto studio veneratur, & cuius amore hæc omnia moueo, ratam velit habere hanc meam pensionis & meæ cuiusuis alterius rei abdicationem, sinatque tranquillo in angulo mori, vt tam pridem optavi, & tantoperè nunc opto. Quo meo discessu S. V. iacturam fecerit aut certè perleuem, aut nullam. Nec V. S. prius mihi quod peto negandum statuat, quam Christum, eius- que Matrem sanctissimam precando consulat, vt lucem affundant, in qua cernat quid fieri deceat, Deoque placeat; hæc enim de causa *in scriptis* hæc dedi. Cogitet autem, quod contendo, aliud coram Deo viuento non spectare præter ipsius obsequium, & meæ animæ salutem, virtutisque perfectæ



perfectæ officia, quæ Deo, & Matri sanctissimæ debeo. Quare iterum supplicem, & intimis, & infimis precibus S. V. accido, ut quo me hætenus tot annos tot modis dignata est, amorem hic etiam exerat; nec inde obsecro argumentum ducat animi erga se parum grati, parumque memoris beneficiorum quæ in me contulit; nouit omnium iudex Deus esse me ab hac nota maxime alienum: nam si me donis S. V. tantum ornasset quibus deferendis Deum valeo promereri, hæc me nexu æterno constringerent ad S. V. diligendam. Quanto magis cum & beneficia, & amor quo in me congesta sunt, tum per se magna sint, tum potentissima ut S. vestræ me totum deuinciant. Adsit semper S. V. Deus, eamque bonis omnibus cumulet. Expecto S. V. imperium, ubi commodum fuerit id mihi indicare. 3. Septemb. 1594.

*Abiectissimus, & deuinctissimus seruus*

## C. TOLETVS.

Virimeritum auxit Epistola hæc, absque imminutione dignitatis; dum se putat Deum, & Pontificem exorasse, iamque animo sibi procul ab aula secessum metatur, quadriduo post à Pontifice reuocatur, & hoc insperato responso excipitur (quod ipse postea in tabulas retulit.) Auctoritatis nostræ toto pondere iubemus, ut omnem in posterum abdicandi pilei cogitationem deponas, nec sunt nostra hæc iussa, sed eius qui ori nostro hæc inferit. Petebas tua Epistola rem Deo à nobis commendari, factum uti petieras, & hoc tibi edicimus, mox ut ad precandum genua fleximus, auditam nobis veluti quandam vocem quæ sic admoneret, tua omni in illum utere potestate, & iubeto illum cogitationem omnem abiicere: quod ergo vos facere iubemus ab eo nobis inditum est, qui per nos vobis indici hoc voluit. Quæ ubi dixisset, ad quædam alia transit; tum assurgens Toletumque complexus, volo, inquit subridens, simul in desertum secedamus. Hæc ego credidi, hos duos Ecclesiæ præsidēs ex vocationis pristinæ instinctu potius, quam ex religiosæ demissionis hausisse modestia; & potui ex paucis de Societate, in gradus similes euectis, non paucos memorare, quos eiusdem sensus teneritas affecit. Nec mirum, quos virtus Instituto cognata, in proposito educat ab dignitatibus auerso; ad eas protrusos, in iis non acquiescere, nec illud spirare animi serenum quod solent alij, quos nunquam sibi vota contraria manciparunt. Facit enim voti religio sanctè Deo obstricta, quàm libera sui abiectio ab iis honoribus alieniorem; abundat tamen etiam istis Ecclesiæ, qui syluis se abdere, sepelire cauernis maluerunt, quam in has incidere præfecturas quæ suas infulas condecorare tam claris capitibus quærebant, nec alij defunt complures violenta quadam populorum veneratione, in eas coniecti, qui exacto cum iis tenerentur mæsti animi tormento, mox ut exeundi species interluxit, proripere sese in cœno-



bia, & solitudines hinc illud Nazianzeni *Vale vale cathedra inuidiosum & periculosum fastigium*, & alia quibus assumpta magis quam petita veria de-  
cendi, suam iam deinceps non suam Constantinopolim, Synodum, Templum  
Imperat. Clerum, Virgines Sacras, Auditores, familias in se beneficas, omnes  
denique salutauit, *Non enim, subdit, Dei quoque iacturam faciunt, qui thronis  
cesserint, sed supremam cathedram habebunt, his multo sublimiorem, & tutiorem.*

*Professi di-  
gnitates ad-  
mittere co-  
eti ex voto  
debent Ge-  
neralis con-  
silia audire.  
Quod votum  
contra diplo-  
mata Ponti-  
ficum, &  
contra veri-  
tatem impu-  
gnatum est.*

Sic ergo Ignatius malis vna duobus occurrit, ambitum ab Societate, ab  
Ecclesia excludens ambituros. Si quando tamen incideret, vt Christi Vi-  
carius, penes quem solum id iuris est, homines de Societate, pena diuinæ  
offensæ adigeret ad Ecclesiæ præfecturas; prouidentissimo consilio tunc  
cauit, vt esset earum administratio & iis tuta & publico utilis. Voto enim  
ligari Professos constituit, si forte præficerentur Ecclesiis, audituros con-  
silia Societatis Præpositi, aut cui suas vices ille committeret; consiliis vero  
huiusmodi ita se semper parituros, si ea meliora esse, quam quæ sibi in  
mentem venissent iudicarent. In quo sunt quædam necessario indicanda 1.  
primùm biennio quam viuis abiret, Ignatius voti eius edendi legem Con-  
stitutione ab eo sancitam; nec sat habuisse, quod de illa cum Deo transe-  
gisset, sed Patrum iudicio, vt ipsi mos erat, subiecisse. Seruatur in tabula-  
rio nostro Romæ, consultationis huius autographum, capitibus, iudi-  
ciis, & chirographis Theologorum qui interfuerant distinctè con-  
signatum, quale verbatim huc transfero. *Communi omnium Patrum qui  
Congregati sunt consensu conclusum est, primo, licere vouere voto sim-  
plici; quod si quis ex Societate assumatur ad Pralationem, audiet consi-  
lium Generalis Societatis Iesu, vel eius in hoc commissarij, & exequatur  
quod ei consultum fuerit, modo pralatus iudicauerit id quod consultum me-  
lius esse. Non tamen videbitur licitum ita Obedientiam dicto Generali vo-  
uere, vt is per hoc constituatur superior Episcopo 2. hoc votum expedire 3.  
Licere, & expedire Constitutionem de hoc facere, modo ita explicetur, vt  
nullus merito offendi possit. 4. non expedire mentionem facere de scrupulis,  
vel alijs huiusmodi. Conclusa sunt prædicta omnia Romæ in domo Societatis  
Iesu. 17. Sept. anno Domini 1454.* Primus subscripserat Iacobus Lainius,  
quem vnum facile multis anteponas; inde Andreas Quiædus qui fuit po-  
stea Æthiopiæ Patriarcha; Melchior Carneus Nicææ Episcopus; Martinus  
Olaius Doctör Sorbonicus; Benedictus Palmius; Petrus Ribadeneira;  
Cornelius Vischauenus, & alij prudentes, & docti: decreto constitutioni-  
bus inserto recognitæ sunt constitutiones seuero examine, iussu Pauli I V.  
à Cardinalibus quatuor Alexandrino, qui Pij V. nomine, Pontifex deinde  
creatus est, ingens dominicanæ familiæ ornamentum; Moniliano seu  
Aræ cæli Franciscano; Scoto Theatino; Suauio Episcopo, qui eas ne apice  
quidem mutato vel adiuncto laudarunt; multis inde diplomatis, multi  
Pontifices non modo vniuersas, verum etiam seorsum singulas, & particu-  
latim vnamquamque, ita comprobarunt, vt eos diris execrationibus subde-  
rent, quorum temeritas in iis aliquid auderet arguere, vel exagitare dispu-  
tando, quæ à me idcirco lectori obiter necesse fuit hic repeti, vt facilius  
statuat,